



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

11. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis datum non est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Heb. 10. Iesu in omnibus vobis. Patientia vobis necessaria est, ut fa- Heb. 1. cientes voluntatem Dei, reportetis promissionem. Deus pacis appet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, ut iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est I. Pet. 4. viuat temporis. Denique illud Ioannis. Mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet I. Ioan. 2. in æternum. Quis dubitare potest quin his omnibus in locis facere voluntatem Dei, nihil aliud significet quàm facere Dei mandata, & bonis operibus operam dare? Quòd si facere voluntatem carnis, necessariò in Scripturis significet facere ea quæ caro suggerit, expeit, & iubet, ut apud Pau- Ephes. 2. lum quum de maxime impiis loquitur, *Conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum*: cui dubiam esse potest, quin facere voluntatem Dei Patris sit ea facere quæ Dei Spiritus suggerit, quæ Deo placita sunt, ac demum quæ Deus in sua lege fieri mandat ac iubet? Sed voluntatem Dei facere, nunquam in Scripturis Caluino placuit, ut aliis adhuc in locis Euangelicis videbimus.

## IN MATTHÆI CAP. XIII.

II. *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum: illis datum non est.*

**A**D hæc & sequentia Euangelistæ verba, sparsit impius Caluinus infernalis suæ doctrinæ semina, de Deo peccati & excitationis reproborum auctore atque impulsore actiuo. Affirmat in diuersos fines hominibus à Deo proponi salutis doctrinam, & admirabili Dei consilio sic temperari, ut non minus odor sit mortis in mortem reprobis, quàm electis odor viuificus. Hæc ille. Vult utrumque finem ab ipso Deo proponi, & viriusque effectus tam excæcationis reproborum quàm illuminationis credentium Deum auctorem esse. Hanc ob causam affirmat Christum hic data opera obscurius locutum esse, ut multis anigmaticus esset sermo. Addit postea ut totum suum venenum effundat, Deum duobus modis priuare homines doctrinae suæ luce: interdum anigmaticè loquendo, interdum vero etiam si apertè loquatur, & absque figuris mentem suam palam explicet, hebetando tamen illorum sensus & stupore per-

Deus non  
excæcat  
reprobos  
actione  
propria.

cutiendo, ut in plena luce cacutiant. Hæc ille, ut probet non secus esse opus Dei excacationem impiorum quam illuminationem piorum. Idem ex hoc loco & aliis Scripturis docet Instir. lib. 3. cap. 24. num. 13. Sed ex sacra Euangelij historia non debuit Calvinus tale fuisse venenum. Textus ipse manifestè ostendit excacationis reproborum causam non in Deo, sed in ipsis reprobis esse. Ideo in parabolis loquor illis, (ait Christus) ideo sermone obscuro & ænigmatico utor, quia videntes non vident, id est, quia quum possint videre, nolunt videre. Sic enim postea dicit, Oculos suos clausurunt, id est, ex propria malitia advertere noluerunt. Non igitur idcirco Christus in parabolis apud incredulos Iudæos loquitur, quia data opera voluit eos excacare & stupore percutere, ut impius Calvinus ait, sed quia illi improbi & malitiosi erant, qui non apertissimè dicta intelligere vellent. Denique fatetur Calvinus, Matthæum in his verbis auditoribus tribuere, ut cecitatis sue & duritiei culpam sustineant: quia quotquot in sensum reprobum coniecti sunt, sponte & intrinseca malitia se excacant & obdurant. Et rursus. In ipsis excacatis residet culpa, quia spontanea est excacatio. Hæc ille, ubi ex parte auditorum culpam residere quum agnoscat, ea sola cecitatis causam contentus esse debuit, & non in Deo aliam causam ponere, quod hic Euangelium non docet. Nam eam ipsam ob causam D. Matthæus Esaiæ verba quæ citat, non iuxta literam hebraicam profert, ubi sic legitur, Excaca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius clauda, quæ litera quasi iussionem & voluntatem Dei actiuam ponit circa illius populi excacationem; sed iuxta versionem 70. profert: qui sic illa verba viderunt ut sic prædictio prophetica, non iussio diuina, quia reuera in talibus sermonibus Deus non iubet absoluta voluntate quod fieri vult, vel quod facturus est ipse, sed prædicat scientia sua infinita quod futurum est; & quod iusto iudicio suo fiet, subtrahendo quidem gratiam & negando lucem, sed non operando cæcitatem, aut stupore, percutiendo mentes hominum, aut denique ob hunc finem proponendo doctrinam salutis quibusdam ut ea excacentur: quæ omnia impius Calvinus hoc loco docet ut semina iaciat terribilissimæ suæ doctrinæ, quod Deus est author peccati, non solum permittens illud subtrahendo gratiam, sed etiam operans illud actiuè concurrente, & voluntatem humanam ad malum impellendo.

Esa. 6.

Abutitur præterea hoc loco aliis Scripturis ad hanc suam impietatem

impietatem confirmandam. Esa. cap. 28. vbi denuntiat Deus se *Barbarum fore populo qui peregrina & incognita lingua loquetur.* & Esa 29. *visiones propheticas doctis fore librum clausum & obsignatum in quo legere nequeant: vbi autem aperius fuerit liber, omnes fore idiotas, qui attoniti hærebunt, nescientes legere.* Hæc ille. Sed prior locus quid velit, Paulus 1. Cor. 14: eadem verba citans satis nos docuit: nempe prophetiam esse futuræ Iudæorum incredulitatis, eo ipso tempore quò ex admirabili dono linguarum nouis Apostolis & Dei legatis impertito, variis linguis loquentur illi; de quâ incredulitate ait Esaias: *Et noluerunt audire:* manifestè docens improbam eorum voluntatem liberam; non solum spontaneam vt Calvinus loquitur, huius incredulitatis causam fuisse. Posterior quoque locus non aliud est, quàm similis & eadem propheta futuræ incredulitatis Iudæorum. Docet enim Propheta veteres prophetias fore Iudæis clausas, vt Christum in illis non videant nec intelligant, idque propter velamen propriæ & voluntariæ incredulitatis, vt Apostolus docet. *Cum autem conuersus fuerit ad Deum, auferetur velamen.* Quæ sanè conuersio vt ex diuina gratia proficiscitur, ita quoque ex libera hominis voluntate semetipsam ad Deum conuertentis bitum habet, non secus dicente Scriptura, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, quàm, Conuertere nos ad te Domine, & conuertemur.* Summa ergo est, hominum propriam malitiam & incredulitatem in causa esse, non solum propinqua & proxima, sed plane vnica, si de causa propriè dicta loquamur, cur Dei mysteria à multis non capiantur. Quod in Prompt. Cath. circa hæc ipsa verba latius dispuratum vide. Hanc causam in fine huius capituli apertissimè posuit Matthæus dicens, *Christum in patria sua non fecisse multas virtutes propter incredulitatem illorum.* Quæ verba manifestè docent, Deum circa incredulos paratum esse suas partes agere, & propter hominum petuicaciam suam gratiam iuste subtrahere, non ex sola sua voluntate hominum mentes stupore percutere, vt suprâ Calvinus docuit. Nunc enim suorum mendaciorum immemor hoc loco ita scribit, hæc verba tractans. *Sanè ita res se habet. Dominus vbi videt virtutem suam à nobis non recipi, tandem eam subducit: & tamen interea conquerimur eius opem nobis deesse, quam nostra incredulitas procul arcet ac repellit.* Vide plura in Marc. cap. 6.

1. Cor. 14:

Esa: 28:

2. Cor. 3:

Zachar. 4:

Thron 5:

Dominic  
Sexages: